

**Audiat, & quod opus non pigra mente faceat;**  
 Nec durum quidquam, aut difficile esse putat;  
**Nec vanas fingit caussas, nec segnis in horam,**  
 Differt; depensi fluctibus ut tumidis  
**Discurrunt jussi sua quisque ad munia nautæ:**  
 Hic remis torquet cærula, deonerat  
**Sentinam hic fluctu, hic per veliferas antennas**  
 Aerium prono pectore scandit iter:  
**Jussa nec indociles expendunt; una magistri**  
 Sed vox, sed nutus quo vocat ipse, volant.  
**Ante sed, o Socii, possim quam dicere, quot nam**  
 Ærumna e pleno germina dia sinu  
**Omnigenæ fundat virtutis, Phœbus, Olympi**  
 Qui medium curru celsus in ignifero  
**Pulsat, ad occiduam pronus descenderit undam,**  
 Cæruleo & flavum merserit amne caput:  
**Nec linguae centum nil non comprehendere aventi,**  
 Oraque centum, & vox ferrea sufficiat.  
**Hos ego mi Ærumnæ fructus, hæc tot bona malim,**  
 Has tam multiplices divitias animi;  
**Malim certe, auri quam si quidquid fuit usquam**  
 Fortuna in nostram congerat ipsa domum;  
**Nostraque ab occasu si late Solis ad ortum**  
 Ingens in niveis fama triumphet equis.  
**Quo mihi opes inopes, variæ ludibria sortis,**  
 Quæ tenui venti flamine cassa volant?  
**Queis nec inest solidum quidquam, & pernicibus auris**  
 Ocyus, exigua præteriere die:  
**Quum maneat lethi victrix, æternaque nigræ**  
 Virtus Ærumnæ candida progenies.  
**Attamen infelix hominum gens, quos super eheu!**  
 Incubat obscuris horrida nox tenebris,  
**Quantas Ci mmeriis perhibent horrere sub antris;**  
 Quod fatui rem ipsam haud cernimus; at vacuas